

episcopis Comprovincialibus, translata fuit; atque solius Sedis Apostolicæ auctoritate confirmari & Consecrari ceperunt, etiam ab omnibus, tamquam ordinationi Sedis Apostolicæ immediate subiectis, juramentum hoc Romano Pontifici præstandum exigitur, idque hodie præstatum juxta Formulam à Clemente VIII. reformatam & extensam; ac Pontificali Romano insertam.

IX. Formula Juramenti prout à Gregorio VII. proposita fuit, & in Cap. 4. *De jurejurando* refertur, septem continet articulos, sive clausulas; quorum tres primi plane conformes sunt iis, qui in Juramento fidelitatis quod Vasallus præstare tenetur Domino directo, continentur, uti videre licet *Lib. 2. Feud. tit. 5. §. 6. & 7.* atque his verbis in formula Juramenti exprimitur: *Ego N. Episcopus (Pontificale addit: Electus Ecclesia N.) ab hac hora in antea fidelis ero Sancto Petro, Sanctæque Romana Ecclesia, Domino, meo Papa C. ejusque successoribus Canonice intrantibus. Non ero in consilio (Pontificale addit: aut consensu) neque in facto ut vitam perdat aut membrum, vel capiatur mala captione (addit Pontificale: aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuria aliqua inferantur, quovis quæsito colore.) Consilium quod mihi aut per se, aut per litteras, aut nuntium manifestabit, ad ejus damnium (Pontificale addit: me sciente) nullipandam.*

Hi articuli fat ostendunt, hoc Juramentum Fidelitatis præcipue concernere Episcopos qui Sedi Apostolicæ non in spiritualibus dumtaxat, sed & in temporalibus subiecti sunt.

X. Quartus articulus in Cap. 4. *De jurejurando* exprimitur hac formâ: *Papatum Sanctæ Romana Ecclesiæ & regulas Sanctorum Patrum (pro his finalibus verbis legitur in Pontificali: & regalia Sancti Petri) adjutor ero ad defendendum & retinendum, salvo ordine meo, contra omnes homines.*

Pontificali Romano consonat formula Gregorii VII. prout refertur in Concilio Romano VI. anno 1079. quæ extat tomo 10. Conciliorum generalium edit Labeanæ fol. 379. Ibi enim legitur: *Papatum Romanum & REGALIA Sancti Petri adjutor ero ad retinendum & defendendum salvo ordine meo.*

Hanc lectionem tibi valde placere dixit Antonius Augustinus ad Cap. 20. *De elect.* in prima collectione; atque unâ dicit: "Erratum esse videtur ex litterarum compendio. In alia formula Sacramenti Roberti Ducis Apulizæ, Calabriæ, & Siciliæ est: Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tibi, bique adjutor ero ad tenendum, acquirendum & defendendum regalia Sancti Petri, ejusque possessiones, pro meo posse contra omnes homines." Hæc ille; notatque & vir eruditus Franciscus Florens, hanc esse veram & antiquam lectionem.

XI. *Realia S. Petri* hic accipiuntur pro Patrimonio Sancti Petri; quod aperit confirmat Formula Innocentii III. extans in ejus gestis pag. 64. in qua ita explicantur Regalia, Honores, dignitates & Gratias Apostolicæ Sedis defendam pro posse, salvo ordine meo; & pluribus probat D. Da Cange in suo Glossario, verbo *Regalia*; ideoque dici potest, quod sub nomine *Regalium* eorumque defensionis in Formula Gregorii VII. omnia essent comprehensa, quæ latius in Pontificali Romano ex præscripto Clementis VIII. his verbis sunt expressa: "Jura, honores, privilegia & auctoritatem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ, & successorum prædictorum, conservare, defendere, augere, promovere curabo. Neque ero in Concilio, vel facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam, aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, juris, honoris, status, & potestatis eorum machinentur. Et, si talia à quibuscumque tractari, vel procurari novero, impediam, hoc pro posse, & quanto citius poterō, significabo eidem Domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ipsius notitiam pervenire."

XII. Quintus Articulus habet: *Vocatus ad Synodum*

veniam nisi præpeditus fuero canonicè præpeditio. In antiqua formula Gregorii VII. ita exprimitur: *Ad Synodum, ad quam me vocabunt, vel per se, vel per suos nuntios, vel per suas litteras, veniam & canonicè obediam, aut si non poterō Legatos meos mittam.*

XIII. Sextus Articulus: *Legatum Apostolicæ Sedis quem certum esse cognovero* (hæc postrema clausula, quem certum esse cognovero in Pontificali omittitur) in eundo & redendo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo.

XIV. Septimus est: *Limina Apostolorum singulis annis (Pontificale: Singulis triennis) per me aut per certum nuntium (Pontificale: Personaliter per me ipsum) visitabo: nisi eorum absolvar licentiâ.* Hæc ultima clausula non habetur in Pontificali, sed adduntur sequentia: *Et Domino nostro ac successoribus præfatis, rationem reddam de toto meo Pastoralis officio, ac de rebus omnibus ad mee Ecclesiæ statum, ad Cleri & populi disciplinam. Animarum denique, quæ mee fidei tradite sunt, salutem, quovis modo pertinentibus; & cætera quæ inferius referentur.*

Totus hic Articulus de visitatione Liminum Apostolorum deest in formula Gregorii VII. supra citatâ; sed vice illius habentur hæc, quæ nec in Decretalibus, nec in Pontificali occurrunt: *His quos nominatim excommunicaverint scienter non communicabo: Romanam Ecclesiam per SACULAREM MILITIAM fideliter juvabo, cum invocatus fuero.*

Hic rursus non obscure innuitur, juramentum hoc primitus conceptum fuisse pro solis Episcopis, qui etiam in temporalibus Sedi Apostolicæ aliquo vinculo obstricti essent.

XV. Cæterum circa tres posteriores articulos notandum, tria ibidem præscripta, ita commodè & rectè ab Episcopis præstari posse, dummodo consensus Regis & Principum interveniat, præsertim in Gallia & hisce Provinciis, in quibus absque consensu Regis, nec legatum Pontificis ut talem agnosceret, adire, excipere & comitari; nec Regni finibus excedere, vel ad Synodum vel ad Pontificem licet proficisci. De quibus videri potest Franciscus Florens ad titulum *De concessione Pallii* pag. 231. & ab eo citati: & quæ infra titulo de Nuntiis & Internuntiis Apostolicis notata sunt.

XVI. De *liminum Apostolorum* visitatione mentio fit in Synodo Romana sub Zacharia Papa anno 743. *can. 4.* ex qua desumptus est *Canon. 4. dist. 93.* apud Gratianum, uti rectè notarunt Correctores Romani.

In hoc Canone statuitur: "Ut juxta Sanctorum Patrum & Canonum statuta, omnes Episcopi, qui hujus Apostolicæ Sedis ordinationi subjacebunt, qui propinquius sunt, annuè Idibus mensis Maji Sanctorum Principum Apostolorum Petri & Pauli liminibus præsententur, omni occasione sepelita; qui verò de longinquo, juxta chirographum suum impleant. Nam qui hujus constitutionis contemptor extiterit, præter si agritudine valida fuerit detentus, sciat se Canonibus subiacere."

XVII. Duo nobis hic Canon aperit. Alterum, quod Episcopi Liminibus Apostolorum se præsentare deberent, ut Synodo annuè juxta Canones celebrandæ interessent; atque *Liminibus Apostolorum se præsentare*, idem esset, quod Romam ad Synodum juxta Limina Apostolorum celebrandam convenire.

Alterum, obligationem se præsentandi liminibus Apostolorum solis Suffraganeis Romanæ Metropolis; sive qui ordinationi Sedis Apostolicæ subjacebant, fuisse impositam: nec tamen his omnibus, sed solis propinquius; remotiores enim, tamen ad Romanam Metropolim spectantes, ipsi venire non tenebantur; sed suis erat, si chirographo suo, quæ in Synodo agebantur, confirmarent.

Itaque obligatio adeundi limina Apostolorum profluxit se videtur ex obligatione accedendi ad Synodos Metro-

politanas; quod apertius indicat S. Leo, qui scribens ad Episcopos Siciliæ, Pontifici Romani ordinationi subiectos, ait: "Illud primitus pro concordissimæ unitatis custodia exegimus, ut quia saluberrimè à Sanctis Patribus constitutum est, binos in annis singulis Episcoporum debere esse conventus, terni semper ex vobis ad diem tertium kalend. Octobr. Romam fraterno Concilio sociandi, in dissimulante occurrant."

Hic ergo manifestum est, obligationem veniendi Romam, à Sancto Leone elici ex obligatione accedendi Synodos Provinciales.

Cum verò juxta pristinam Ecclesiæ disciplinam, Episcopi ad ejus spectarent Synodum à quo ordinationem acciperent, faciè intelligitur, cur Episcopi ordinationi Sedis Apostolicæ immediate subiecti ad Limina Apostolorum accedere specialiter adstricti essent.

XVIII. Hinc ulterius intelligimus, quare hæc obligatio citius Metropolitanis, quam Episcopis cæteris imposita sit; ut colligitur ex Epistola 6. Paschalis II. quia scilicet, Metropolitanorum ordinatio citius, quam Episcoporum ad Sedem Apostolicam translata est; atque Metropolitanis ab eadem Sede Pallium, & cum eo plenitudinem Sacerdotii accipere consueverant.

Quod intelligens antiquus Juris Canonici Glossographus ad Cap. 4. *De jurejurando*, verbo, *singulis annis*, notavit, obligationem visitandi Limina Apostolorum, de qua in citato Capitulo, intelligendam de Archiepiscopis & Episcopis qui subsunt Domino Papa Nullo medio. Additur in margine ex Joanne Andrea: *Idem servatur in aliis, si confirmationem, Consecrationem vel Pallium à Papa recipiunt.*

XIX. Translatâ ergo non tantum Metropolitanorum, sed & Episcoporum confirmatione & Consecratione ad Sedem Apostolicam, unâ ipsa obligatio visitandi Limina Apostolorum, sive accedendi ad Sedem Apostolicam, cujus jam ordinationi omnes immediate censentur subiecti, generaliter ad Episcopos, unâ cum juramento extensa fuit.

XX. Cumque jam inter Episcopos hæc obligationi subiectos essent nonnulli in Provinciis remotis, quibus singulis triennis Limina Apostolorum visitare, esset non parum incommodum, Xistus V. varia temporum intervalla, pro varietate Provinciarum & Regnorum præfixit; quæ in Pontificali Romano expressa sunt; atque inter alia ait: "Ad tempus singulorum quadrienniorum tenentur Germani, Galli, Hispani, Belgæ, Boëmi, Hungari, Angli, Scoti, Iberni, & cæteri omnes qui in Europa sunt citra mare Germanicum & Balticum, atque omnium insularum maris mediterranei."

XXI. Per *Limina Apostolorum* in Formula juramenti relata in citato Cap. 4. non intelligi Ecclesias SS. Petri & Pauli, nec mortua eorum corpora, vel sepulchra, sed Papam, vel Sedem Apostolicam, aperte colligitur ex verbis quæ subjunguntur: *nisi eorum absolvar licentiâ*; quæ necessariò ita debent exponi, nisi absolvar per Papam, qui illis Liminibus præest, & illorum Apostolorum vice fungitur; uti post alios Canonistas notat Fagnanus ad citatum Capitulum 4. Unde obligatio Episcoporum visitandi materiales illas Apostolorum Basilicas non tam ex juramento, quam consuetudine atque posteriorum Pontificum Decretis profuit; quod & Fagnanus ibidem notavit.

XXII. Porro præcipuus scopus hujus visitationis, uti colligitur ex Bulla Xisti V. & hodierno stylo Curie Romanæ, est, ut Episcopi Sedem Apostolicam de statu Ecclesiæ suæ plenè informant; eumque Sacra Congregationi Cardinalium super Interpretatione Concilii Tridentini (quæ ad hoc specialiter deputata est) referat; quod & hodierna formula juramenti in verbis supra relatis exprimit.

Hic autem status duplex est, materialis & spiritualis. "Materialis versatur circa loca Urbana, suburbana, ruralia, sylvestria. Item circa Cathedralium, Collegiatas, Parochiales & alias Ecclesias, & Oratoria. Item circa Van Espen *Jus Eccles. P. I.*

Monasteria tam virorum, quam mulierum, hospitalium, Montem pietatis, Collegia, Confraternitates, & alia pia loca tam Civitatis, quam Diocesis, & cetera earumdem Ecclesiarum & locorum situm, fabricam, ornatum, bona, redditus, sacram suppellestem, personarum ac ministrorum numerum, & ordinem, & alia his similia. Et quoad hunc statum materiale praxis est, ut unusquisque Episcopus in prima ejus visitatione plenam exhibitam relationem; in sequentibus autem visitationibus, super hoc statu materiali simpliciter se referat ad relationem primò exhibitam, & tantum fuerit, si quid additum, immutatum, immutatum fuerit, quod Congregationem scire expediat." Hæc Fagnanus ad dictum Cap. 4. n. 73.

Status spiritualis, sive formalis ut eum vocat Fagnanus, in quo præcipue eniti debent, versatur circa Pastorale officium atque omnia, quæ ad ipsarum, quibus præsent, Ecclesiarum regimen & Animarum salutem pertinent, de quibus S. Congregatio juxta præscriptum Xisti V. edoceri vult, scilicet, "quæ in Ecclesiis eorum curæ ac fidei commissis, Cleri, populi que morum disciplina sit, quæ Concilii Tridentini, cum in omnibus, tum præcipue in residentia munere executio, quæ item pie consuetudines, & qui omnium denique in via Domini sint progressus." Sive ut in suo juramento ad præscriptum Pontificalem exprimit Episcopus: "Rationem reddam de toto meo Pastoralis officio, de rebus omnibus ad mee Ecclesiæ statum, ad Cleri & populi disciplinam, Animarum denique, quæ mee fidei tradite sunt, salutem quovis modo pertinentibus; & vicissim mandata Apostolica humiliter recipiam, & quam diligentissime exequar."

Et hæc quidem generalia sunt, super quibus S. Congregatio informari debet; quæ pro accuratioris informatione ad specialia descendere solet; quemadmodum monet Fagnanus, qui & articulos illos ibidem annotat: De quibus si sincerè ac pro rei veritate Congregatio informetur, non dubium, quin frequenter perfectum esse debeat Sedi Apostolicæ, quantum sit in pluribus Ecclesiis super hisce defectus; cui per Sedem Apostolicam opportunis remediis merito occurratur.

XXIII. Formula Juramenti expressa in Cap. 4. *De jurejurando*, tantum obstringit jurantem, ut per se vel per certum nuntium Limina Apostolorum visitet; at formula in Pontificali expressa, obligat personaliter per se ipsum visitare; nec nisi legitimo impedimento detentum per alium; atque hoc casu, uti habent verba juramenti: "per certum nuntium ad hoc speciale mandatum habentem, de gremio mei Capituli, aut alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, seu alias personatum habentem; aut, his mihi deficientibus, per Diocesanum Sacerdotem; & clero deficiente omnino per aliquem alium Presbyterum secularem vel regularem spectatæ probitatis & religionis, de supradictis omnibus plenè instructum. De hujusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes, ad Sanctam Romanam Ecclesiam Cardinalem Proponentem in Congregatione Sacri Concilii, per supradictum nuntium transmittendas."

XXIV. Moderna Belgii vicinarumque Provinciarum constans ac uniformis praxis habet, ut visitatio per Nuntium fiat; quasi ob itineris longitudinem molestas & expensas; atque diuturniorem à Diocesi absentiam legitimam ac continuum impedimentum subit; neque ulli Episcopo hinc difficultatem moveri hæctenus intelleximus; in Gallia verò hic articulus non observatur, ait D. Fleury in Instit. Juris Canonici parte 1. cap. 11.

XXV. Præter septem articulos in formulâ Juramenti Gregoriani, prout refertur in dicto Cap. 4. contentos, addit insuper formula Pontificalis moderna: "Regulas Sanctorum Patrum, Decreta, ordinationes seu dispositiones, reservationes, provisiones, & mandata Apostolica totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari."

"Hæc clausula (inquit Vir Eruditus Franciscus Florens ad titulum de concessione Pallii pag. 230.) laiffi- me patet, nec eam usus noster admittit in plerisque. Ideoque omiffa est in formula Gregorii XV."

Formula Gregorii XV. cujus hinc meminit Florens, est illa, quam novum Archiepiscopum Parisiensem eidem Pontifici præstitisse testatur Florens; extratque apud Andream Du Sauffai libro *De mysticis Gallia scriptoribus*.

Quod de Gallia asserit Florens, id quoque de Belgio affirmari posse non dubium. Nihil enim certius, quam provisiones, reservationes, ac mandata Apostolica non generaliter & indistinctè, sed cum certis limitationibus, juxta jura ac receptas Provinciarum atque Ecclesiarum consuetudines hinc admitti credendumque; nec eorum observantiam aliter jurari velle Pontifices; videaturque usus ac communis intellectus, in hunc sensum juramentum expofuisse, non tantum quoad hunc articulum, sed etiam reliquos; ut scilicet contenta in illis articulis intelligantur prout Provinciarum jura ac consuetudines illa observari permittunt.

XXVI. Denique additur in formula Pontificalis: "Post sessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo; nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem de veneto; pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurere volo."

XXVII. Juramenti ab Episcopis præstandi de non alienandis rebus ad suam mensam spectantibus fit mentio in Cap. 8. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis*: illudque vel Pontifici, vel Metropolitanò præstandum erat. "Nam (ut ait Glossa ibidem verbo, *Sacramento*) quilibet Episcopus qui immediatè Domino Papæ subest, jurat ei fidelitate, quod non alienabit bona Ecclesiæ, nec infeudabit, & idem juramentum præstant alii Episcopi suis Metropolitanis."

Hic nota, tempore Glossographi hujus, id est, sæculo 14. nondum omnes Episcopos præstitisse hoc juramentum fidelitatis Romano Pontifici; sed tantum immediatè Pontifici subjectos; reliquos verò illud idem præstitisse suis Metropolitanis; sive Episcopos, uti ante diximus, juramentum præstitisse illi à quo ordinationem sive confirmationem accipiebant. Et etiamnum hodie extat in Pontificali Romano ordo Consecrationis, quo à Metropolitanò electus ordinari solebat; ubi idè pene per omnia juramentum, quod hodie Pontifici præstat, præstandum præscribitur Metropolitanò. Habetur in Pontificali sub titulo, *De serutinio quo Antiqui utebantur antequam ELECTUS in EPISCOPUM consecraretur*. Plura de hoc Juramento dicentur infra Titulo De Metropolitanis.

XXVIII. Notandum quoque, hujus clausule de non alienandis rebus Ecclesiæ, nullam in Formula Gregorii VII. prout vel in Concilio Romano, vel Decretalibus exhibetur fieri mentionem; unde post tempora Gregorii VII. insertam fuisse rectè observat Franciscus Florens loco citato pag. 231. quemadmodum plura alia successu temporis addita fuisse, ex dictis facillè intelligi potest; & utramque formulam inter se conferenti ad oculum patebit.

### CAPUT III.

#### De moderno ritu Consecrationis.

1. Electus præsentatur Consecratori.
2. Olim interrogabat Metropolitanus, num præsentantes scirent electum esse dignum: quod etiam tempore Innocenti III. in usu fuit.
3. Olim solebat fieri præsentatio electi prædiè ante Consecrationem per Archiepiscopum vel Archidiaconum Ecclesiæ vacantis.

4. Hodie Consecrator tantum petit à præsentantibus electum, an habeant mandatum Apostolicum; & quæ hujus ratio?

5. De examine electi faciendò ante Consecrationem.

6. In quo hæc examinandi ratio differat a pristina Patribus usitata?

7. Consecrator electo exponit, quid Episcopum facere oporteat.

8. Liber Evangeliorum cervicibus & scapulis electi imponitur; & Consecrator cum Episcopis assistentibus manus capiti consecrandi imponit.

9. Manuum impositio ritus est antiquissimus, semper in Ecclesiâ tam Latina quam Græca observatus.

10. Impositio libri Evangeliorum etiam est antiquissima, non tamen unversaliter ubique eodem tempore recepta.

11. Hæc verba Accipe Spiritum Sanctum recitari in ipsa manuum impositione recens est ceremonia; non tamen frustra dicuntur.

12. Oratio Consecratoris pro Consecrato.

13. De unctiõne capitis & manuum Consecrati.

14. Benedictio & traditio Baculi Pastoralis, & hujus ceremoniæ antiquitas.

15. Cur in ordinatione Romani Pontificis, hæc ceremonia omittatur; & an olim non fuerit adhibita?

16. Impositio annuli & ejus antiquitas.

17. Traditio libri Evangeliorum ipsi Consecrato est recens ceremonia.

18. Consecratus offert panem & vinum, quod antiquitus etiam à populo fiebat.

19. Consecratus cum Consecratore stando missam peragit, & de eadem Hostia & eodem Calice communicant.

20. Hic ritus olim in Ecclesiâ Latina, & hodie etiam in Ecclesiâ Græca est usitatus & ordinarius.

21. Impositio Mitræ, & quando ejus usus incæperit?

22. De Chirothecis Pontificalibus.

I. **R**itu hodierno, Electus sive Nominatus medius inter duos Episcopos ducitur ad Metropolitanum sive Consecratorem; & senior assistentium eum Consecratori præsentat consecrandum sub hac formula verborum. *Reverendissime Pater, postulat Sancta Mater Ecclesiâ Catholica, ut hunc præsentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevari.*

II. Tempore electionis pecebat Metropolitanus: *Scitis illum esse dignum?* Responderebat Episcopus: *Quantum humana fragilitas nosse sinit, & scimus & credimus illum dignum esse.*

Hancque formulam in usu fuisse tempore Innocentii III. patet ex ejus responsio relato in Cap. Unico *De serutinio in Ordine faciendò*; ubi interrogatus, an Episcopus assistens hoc responsum dari queat, dom Electi conversatio minus sibi cognita, aut penitus ignota est, respondit: "In tali responsione aliquem peccare non credimus, dummodo contra conscientiam non loquatur: quia non simpliciter illum asserit dignum, sed in quantum humana fragilitas nosse sinit: cum illum, quem indignum esse non novit, dignum debeat æstimare. Hujusmodi ergo responsione securè uti poteris, nisi forte de indignitate tibi consulerit Consecrator."

Ad hanc responsionem reflectens antiquus Glossographus ait: "Mirabilis est responsio ista: potius enim dice- re deberet, se nullam habere scientiam de ejus dignitate, vel indignitate." Deinde respondet: "Ex eo, quòd videt illum electum à bonis, quamdam videtur habere notitiam de dignitate ipsius, & de tali respondet, quia audit, vit ab aliis."

Hoc responsum Glossæ attendens Panormitanus, ait: præsumitur hoc in casu dignum, quia præsumptio est pro ejus dignitate; eò quòd per alios est præsentatus ut bonus, ad hoc est electus ut bonus & confirmatus: licet in illo qui

petit consecrari; & tunc præsumitur accidentaliter bonitas. Hæc quidem vera sunt, quando ipsi testantur constare, in electione aut confirmatione Consecrandi ita fuisse inquisitum in idoneitatem Consecrandi, ut verè notitiam illius habere censeatur; ideoque de illa testari possit: alioquin, uti rectè monet Joannes Andreas, *Quomodo testificabitur de eo quod non novit?*

III. Solebat in super die præcedente ipsam Consecrationem fieri alia præsentatio ipsius Electi per Archiepiscopum vel Archidiaconum Ecclesiæ cui Electus erat præficiendus; qui Electum medium inter duos Canonicos ejusdem Ecclesiæ & Metropolitanò præsentabat; qui Metropolitanò interroganti: *Fili mi, quid petis?* respondebat: *Deus & Dominus noster concedat nobis Pastorem.* Rursus eum interrogabat Metropolitanus: *quid vobis complacuit in illo?* Responderebat præsentans: *Modestia, humilitas, patientia, & cetera virtutes.* Ulterius Metropolitanus: *Habetis Decretum?* Responderebat: *HABEMUS.* Tum legabatur Decretum, quo declarabatur, Canonicos præsentem Presbyterum in suam Episcopum elegisse; eumque in Pontificem ordinari postulare: quæ latus referuntur in Pontificali Romano sub tit. *De Serutinio Serotino.*

IV. Hodie omnibus hæc interrogationibus & responsionibus omiffis, Consecrator postulationi Episcopi offerentis hoc unam reponit: *Habetis mandatum Apostolicum?*

Respondente Episcopo Assistente, *habemus*; jubetur legi mandatum, quo auctoritate Sedis Apostolicæ consecrandi potestas committitur.

Cum ergo Consecratio fiat auctoritate Sedis Apostolicæ sive ex ejus delegatione, ritum non est, si Consecrator ex præscripto Pontificali Romani, non interroget Episcopos Assistentes & Electum consecrari postulantem, *num sciamus eum esse dignum*; quia, uti refertur in citato responsio Innocentii III. Pontifex non in ordinatione Pontificis, sed in ordinatione Diaconi vel Presbyteri id interrogat etiam eo tempore solebat.

V. Lecto mandato Apostolico, nec non præfatio per Electum juramento, de quo capite præcedenti, incipit Consecrator Electum examinare; quod antiquam Patrum institutionem docere asserit; tum ut observetur illud Apostoli: *Manus nemini citò imponeris*: tum, ut etiam is, qui ordinandus est, erudiat, qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conversari in Ecclesiâ Dei.

Extat formula examinis modernæ planè similis in antiquo Ordine Romano; in qua tamen post articulum de obedientia ac subjectione Romano Pontifici exhibendâ, subjicitur articulus, quo similis fides & subiectio Metropolitanò, & juique Successoribus promittebatur à Consecratoro.

VI. Indubitatum est, semper Ecclesiâ valde sollicitè inculcasse, ut ante ordinationem Episcoporum serium atque exactum de fide & moribus Ordinandorum examen institueretur; adeoque ritus hic, in quantum prævium illud examen præsentat, ex Patrum Traditione descendere rectè dicitur: At illud dolendum, quod quæ à Patribus seriò fiebant, ut exactam notitiam ipsius Ordinandi consequerentur, hodie tamquam meram ac nudam ceremoniam, juxta Formulam præscriptis verbis exprellam adhiberi & proponi; neque ad aliud in Pontificali conservari videantur, quam ut omnibus, quibus Episcopos promovendi officium incumbit, in memoriam revocetur, quàm enixè semper voluerit Ecclesiâ, ut de persona promovenda exactum atque serium examen institueretur: ne alias, manus citò imponentes, alienis peccatis communicent.

VII. Examine peracto, Consecrator versus ad Electum dicit: *Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare.*

VIII. Tum precibus aliquibus cum Litanis recitatis, Consecrator accepto libro Evangeliorum, illam apertam, adjuvantibus Episcopis Assistentibus, nihil dicens, imponit super cervicem & scapulas Electi: quem unus

Van Epen *7us Eccles. P. I.*

ex Capellanis Electi, post ipsum genuflexus, quousque liber ipse eidem Electo in manus tradendus sit, continuè sustinet. Deinde Consecrator & Assistentes Episcopi, ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes. *Accipe Spiritum Sanctum.*

IX. Ritu hunc, in quantum manuum impositionem continet, à Judæis ac Synagoga in Ecclesiâ traductum atque ab Apostolis observatum, & per eorum Successores ad nos transmissum fuisse, ostendit Guilelmus Bevelegius ad Canonem primum Apostolorum; notatque Morinus de Sacris Ordinationibus parte 2. exercit. 1. cap. 1. tam Græcos, quam Latinos libros Rituales veteres & recentiores in Consecratione Episcopi præscribere manuum Episcoporum impositionem; imò SS. Patres, cum Episcopatus causam allegant, ad manuum impositionem confugere, semperque dicere, per manuum impositionem aliquam Episcopatus gratiam consecutum, vel ordinatum, vel factum Episcopum.

X. Nec tantum ritus hic, quoad manuum impositionem est antiquissimus, sed etiam quoad ipsam Evangelii impositionem Patribus usitatus fuit: "etiamque omnes Rituales antiqui & recentes Latini, Græci, Syri commemorant: quam S. Clemens, S. Dionysius, Concilium Carthaginense IV. referunt & explicant; quam denique laudat S. Chrysostomus in oratione quâ probat, unum esse novi & veteris Testamenti Legislatorem," inquit Morinus loco citato n. 3. qui tamen ibidem n. 5. observat, quod antiquissima hæc ceremonia non fuerit unversaliter ab omnibus Ecclesiis accepta; quod ibi latus prosequitur; asseritque, plures Ecclesias in Gallia & Germania hanc ceremoniam olim non observasse; imò, nec forsan primis temporibus Romanam Ecclesiâ.

XI. Quoad illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, quæ Consecrator & Episcopi Assistentes in ipsa manuum impositione pronuntiant, recens est ceremonia, solitque Latinis, (si Morino credimus) nota. "Nulli enim, ait, Rituales Latini antiqui hæc habent verba; nusquam comparent; etiam in recentioribus multis nulla eorum mentio. Antiqui Scholastici, Hugo de S. Victore, Alexander Aletius, Guilelmus Altitodor, S. Bona Ventura, S. Thomas, licet quæ ad Ordines spectant diligenter & minute persequantur, eorum non meminerunt. Apud Latinos cæpta sunt usurpari vix ab annis quadringentis. Apud Græcos autem & Syros; nec est, nec unquam fuit illorum usus. Itaque nulla ratione dici possunt ad Ordinis substantiam pertinere." Qui deinde ostendit, quod nihilominus rectè pronuntiaverit Synodus Tridentina Sess. 23. can. 4. *De Ordine*. "Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere, *Accipe Spiritum Sanctum* &c. anathema sit."

"Catholicis quippe certum est, ait, Ordinationis ritu, obicem non ponentibus Spiritum Sanctum dari & gratiam produci. Præterea ab antiquissimis temporibus tam apud Latinos, quam apud Græcos non modo in Ordinatione Episcopi, sed etiam Presbyteri & Diaconi, invocatur Spiritus Sanctus. Invocationem illam nobis repræsentant Rituales omnes, Latini, Græci, Syri, antiqui & recentiores in hunc usque diem."

XII. Prædictâ ceremoniâ expletâ, Consecrator recitat præfationem, in qua Deum precatur, ut dignetur Electo dare virtutes, quas vestes summi Sacerdotis Veteris Testamenti figurabant: "Illius namque, ait, Sacerdotii anterioris habitus, nostræ mentis ornatus est, & Pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestrum sed splendor animarum. Quia & illa, quæ carnalibus blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipsis erant intelligenda potcebant."

XIII. Interea verò Choro decantante hymnum, *Veni Sancte Spiritus*, choro ungit caput Electi dicens: *Ungetur, & consecratur caput tuum celesti benedictione, in Ordine Pontificali.*